TOMI I. PARS XXIV.
GERMANICÆ NATIONIS
&
MARTINI PAPÆ V.

CONCORDATA
QVOAD ECCLESIASTICI REGIMINIS EMENDATIONEM,

In Oecumenico Constantiensi Concilio
A. 1418. *labente Januario* adornata,
d. 21. *Martii* in publico Concilii consessu confirmata,
d. 15. *Aprilis* in Librum Cancellariæ Ro. conscripta,
d. 2. *Maji* in Audientia Contradictarum publicata,
Indeque Germanis quibuscunque desiderantibus ex Concilii decreto sub publico sigillo communicata.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis, CÆSAREIS VINDOBONENSIBUS & DUCALIBUS BRUNSVICENSIBUS
eruta ab
HERMANNO von der Hardt.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCti Codices
Actorum Concilii Constantiensis
Ad publicam Concilii sessionem
A. 1418. die 21. Martii.

* * *

MARTINUS &c.
Decernimus & declaramus,
sacro approbante Concilio,
per decreta, statuta & ordinata
tam lecta in præsenti Concilio
quàm
CONCORDATA
cum singulis Nationibus
ejusdem Concilii,
& quæ in nostra Cancellaria poni volumus
& literas in forma publica
sub sigillo Vice-Cancellarii nostri
volentibus habere
confici ac tradi,
Huic sacro Concilio
super articulos contentos in decreto,
super Reformatione fienda
die Sabbati 30. Mensis Octob. A. 1417
Apostolica sede carente pastore
in sessione sacri Concilii lecto,
fuisse & esse satisfactum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt
Lectori S. D.

DEderat *Martinus V.* in Constantiensi Concilio, ex publico Concilii decreto, ad impensa Nationum desideria, ac repetita vota, superioribus Partibus explicata, *Delineationem reformationis ab orbe Christiano expetitæ.*

Non quidem prorsus acquiescebant his Martini propositionibus *Nationes;* Non tamen voti sui prorsus compotes se fieri posse facile intelligebant. Qvippe quod ante electionem Papæ cum Imperatore Sigismundo longe plura momenta postulaverant ac definiverant *Nationes*, quàm ex *oblata Martini Reformatione* expectari posse videbant.

Qvapropter, tempori ac necessitati nonnihil indulgendum rati Nationum Præsides atque Antistites vel Deputati, in Responsione Martini aliqua mutanda notarunt, alia plura ferenda judicarunt aut dissimulanda.

Sic ergo paucula, uti superius dictum, ex hac Martini Delineata Reformatione depromta statuta, limitata tamen atque illustrata, in Concilio tandem sunt haud longe ante finem Concilii mense Martio publicata.

Verùm, inter hæc Martino Cardinaliumve Collegio consultum fuit visum, *cum divisis Nationibus divisim* de cetero *transigere.* Qvod & facilius futurum, & in salutem Ro. curiæ cessurum.

Qvapropter, *seorsim cum singulis Nationibus* Martinus in Concilio agere cœpit, *divisis earum votis ac viribus.* Qvarum singulis plus

minusve indulgere, pro earum affectibus ac rerum facie posset. Qva ratione inter Martinum & singulas Nationes de Reformatione Curiæ Ro. tandem qualitercunque convenit: Ita ut peculiaria cum singulis iniret *Concordata* Martinus.

Qvæ separatæ ac distinctæ *Conventiones inter Papam Martinum V. & quamlibet Nationem*, circa menses *Januarii* ac *Februarii Anni* 1418. concinnatæ, paulo post in publico Concilii consessu *d. 21. Martii*, sunt denominatæ.

Voluitqve Martinus, cum pauculis ex Reformatione sua, Nationibus oblatâ, petitis iisqve limitatis Statutis, Conciliariter publicatis, hæc *sigillatim cum singulis Nationibus inita Concordata sufficere ad præstandam desideratissimam Capitis & Ro. Curiæ Reformationem*, publice in Concilio ante ejus electionem futuro Pontifici injunctam. Eamqve *suam voluntatem* publice denunciavit in Conciliari consessu laudato, d. 21. Martii.

Qvin etiam *separata hæc Concordata* conjunctim *inseri jussit libris Cancellariæ suæ*, pro majori eorum autoritate declaranda.

Et *ex his* quidem *libris depromenda esse* nunciavit, ad preces cujuslibet Nationis, si Concordata hæc cum singulis inita à singulis expeterentur. Ut non tam ex Concilii manu quàm Cancellariæ benignitate accipienda viderentur.

Qvæ omnia, ut robur acciperent, solerti consilio usus, *decreto concilii publico* munivit Martinus, *A.* 1418. *die* 21. *Martii:* Qvi cancelli hanc referunt formam: *Martinus &c. decernimus & declaramus, sacro approbante Concilio, per decreta statuta & ordinata, tam lecta in præsenti Concilio, quam* concordata cum singulis Nationibus ejusdem Concilii, *& quæ in nostra Cancellaria poni volumus & literas in forma publica sub sigillo Vice-Cancellarii nostri, volentibus habere, confici atque tradi, huic sacro concilio super articulos contentos in decreto, super fienda reformatione die Sabbati, 30. mensis Octob. A.* 1417. *Apostolica sede carente Pastore, in sessione sacri Concilii lecto, fuisse & esse satisfactum.*

Qvæ Martini *voluntas*, hæc *Concordata* cum nonnullis memoratis statutis *pro sufficienti reformatione Curiæ Romanæ habendi*, à Nationibus publice *probata* memoratur in Actis Concilii. Ita tamen, ut *non Nationes*, ut aliàs consvetum, per Præsidentes aut deputatos id approbarent ac consensum publice testarentur, sed, his tacentibus, *Cardinalis* Ostiensis *nomine Nationum applauderet.*

Neque verò dissimulandum, non sine notabili ac memorabili charactere, qui scrupulo haud careat, hunc *Nationum consensum* in Actis designari. Qvando enim applausus Nationum per Cardinalem interpretem exprimendus erat, notanter in Actis, etiam à Labbeo ad sess. 43. editis, additur, *Cardinalem hoc asseruisse*, quasi à Nationibus hoc ipsi esset commissum, qui *nomine illarum* Martini voluntatem probaret. Hæc siquidem in Actis sistitur consensus formula: *Qvibus decretis ac statutis sic, ut præmittitur, lectis, Reverendissimus Pater Dominus Johannes, Episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vice-*

Cancella-

Cancellarius, de voluntate Nationum ac ipsius Synodi, & eorum nominibus, UT ASSERUIT, *respondit in hunc modum: De mandato Nationum respondeo, quod placent Nationibus decreta recitata, &* CUILIBET NATIONI PLACET CONCORDIA, CUM IPSA *per Dominum nostrum* FACTA. *Et per præmissa fatentur, dicto decreto jam esse satisfactum: Non intendentes propterea, quod Concordata cum una natione in aliquo alteri Nationi afferant præjudicium.*

Forte *una* atqve *altera Natio*, si non plane antea *scrupulos* de oblatis Concordatis *movit*, *hæsitavit* tamen ob varias rationes. Ut Nationes singulæ calculum addere palam haud sustinerent.

Qvemadmodum *de Gallica Natione* proditum est à *Spondano*; Hanc scil. non omnino acqvievisse Concordatis, suæ Nationi à Martino tributis. Qvin Regem postea contradixisse.

Qvicqvid tandem sit de *quarundam Nationum scrupulis*, sive palam motis sive in pectore pressis, circa *Concordata Martiniana* cum qualibet Natione inita: Certũ est, hæc *tanquam rata* publice eo quoq; nomine fuisse habita, quod *libris Cancellariæ à Martino inserta* autoritatem ac vim inde etiam nacta censerentur, ut *exinde ab omnibus essent repetenda.*

Ista verò *Concordata Martini ac Nationum*, in Constantiensi Concilio tanto cum apparatu concinnata ac publicata vel approbata, quæ Actorum Concilii hujus Oecumenici partem haud postremam, etsi prope finem Concilii instructam, absolvant, *lucem hactenus non vidisse* non immerito miratur *Spondanus.*

Qvandoqvidem ne decretum quidem illud Concilii publicum, antea allegatum, intelligi *sine istis Concordatis cognitis* possit.

Tantum abest, *eventus Concilii œcumenici*, quoad Ecclesiasticam Reformationem, tanto cum motu agitatam vel paratam, *sine his Concordatis* ullo queat pervideri aut agnosci modo. Qvippe *in quibus* omnis illa *Reformationis sacræ moles*, tanto totius orbis Christianæ molimine tot annis in splendidissimo Concilio versata, terminum nacta, & veluti ultima Martini Papæ manu *obsignata.*

Qvoniam igitur SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS, BRUNSVICENSIUM DUX LITERATISSIMUS, quâ ex senili prudentia acri pollet mentis perspicaciâ, in Actorum hujus maximi Concilii grandi & laboriosa congerie, à Sua Celsitudine instructa, ut *ordinem* fatorum, sic & *integritatem* studiosissime spectare clementissime mandavit: Nunc tandem, sub finem Concilii & sub finem hujus primi Tomi, Reformationis Constantiensis materiam complexi, memorata *Nationum & Martini Concordata Constantiensia* exhibere par & æqvum erat.

Tantoqve enixius huc contendendum, quanto non solùm apertius in ipsis Concilii Actis designata essent, sed & à *Schelstrateno, in Actis, p.* 71. manifestius notarentur: Qvod in *Concordatis particularibus, à Martino V. cum singulis Nationibus initis, cum de* CETERIS REFORMATIONUM CAPITIBUS, *salva sedis Apostolicæ autoritate statueret Martinus, de uno capite* (Qvibus de causis Papa possit corrigi & de-

poni) *ne verbum quidem fieri voluerit, quantumvis Natio Germanica in suis Avisamentis post electionem Martini V. id instanter petiisset.*

Summopere proinde necessarium, adesse ac inspici laudata cum Nationibus inita Concordata Martiniana. Ut pateat ac plene recteqve judicari ab omnibus queat, quæ momenta Reformationis expressa, indulta, omissa, negata.

En ergo celebris *Nationis Nostræ Germanicæ ac Martini V. Concordata.* Qvæ vel ideo in acie hic ponenda, quod Germani cum Sigismundo Imperatore ac Imperii Principibus acrius ac animosius Ecclesiastici status ac Regiminis reformationem ad finem usqve Concilii urserint, quam cæteræ Nationes. Unde & fusiora atque ampliora ceteris Concordata nacti Germani. Etsi voti sui ex asse compotes fieri per tempus & fata haud sustinerent.

Damus hæc *Martiniana ac Germanorum Concordata Constantiensia ex antiquissimis Codicibus MSCtis*, ætate Concilii exaratis. Iisque *tribus usi sumus, duobus ex AUGUSTISSIMA SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS BIBLIOTHECA VINDOBONENSI* petitis, *tertio ex Serenissimi Nostri DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI Bibliotheca privata Brunsvicensi* deprompto.

Neqve labore res caruit hæc inde hauriendi. Primo namqve in nullis horum MSCtis, pro more antiquo, ulla *opusculi inscriptio* animadversa. Ut, nisi ex historia & re ipsa constitisset, vix monumentũ pretiosum agnosci ac decenter sisti vel & in suum hunc locum referri potuisset. Qvod profecto negotium, ex antiqua ac indistincta & tantum non confusa sæpe MSCtorum farragine singula quorumcunque autorum monumenta, titulis ac argumentis penitus destituta, eruendi, ac debito habitu ac colore in medium hodie post tot secula producendi, haud exile.

In *MSCtorum Vindobonensium*, quibus Acta Concilii Const. comprehensa, *Volumine I. Regulis Martini V.* quas supra dedimus, immediate hæc *Germanorum ac Martini Concordata* subnectuntur. Verùm absque fronte aut inscriptione. Cum præfatione tamen Cardinalis ac Vice-Cancellarii, ut mox dicetur.

In *Volumine IV. MSCtorum Vindobonensium*, *f.* 127. eadem hæc Concordata denuo exhibentur. Ast iterum sine argumento ac titulo, & absqve Cardinalis Præfatione.

In *Ducali Brunsvicensi Actorum Concilii Const. Codice MSCto*, itidem hæc Concordata Germanorum expressa. Sed & frontispicio privata: Præfatione tamen uliqua Cardinalis ac Vice-Cancellarii instructa.

Dedimus itaque monumento eum ex *titulo* ornatum, quem & *Acta Concilii Constant.* publica d. 21. Martii subindicarent, quem & *Schelstratenus* confirmaret, quem denique ipse *Cardinalis ac Vice-Cancellarius Johannes Episcopus Ostiensis*, in præfatione operi præmissa, aperte demonstraret: *Concordata Nationis Germanicæ ac Martini V. in Constantiensi Concilio inita quoad Reformationem Ecclesiastici status.*

Qvod ad *Præfationes Cardinalis ac Vice-Cancellarii* attinet, cum illis ita se res habet. Martinus in publico Concilii decreto die 21. Martii disposuerat, Concordata sua cum Nationibus in Cancellariæ suæ libros esse conscribenda, indeque, si quis pro sua Natione desideraret, petenda aut describenda, Notarii Apostolici opera ac manu, sed & in majorem fidem à Cardinale Vice-Cancellario subsignanda sigillove munienda. Factum hoc ergo ex omni parte.

Atque ita Cardinalis ac Vice-Cancellarii negotium fuit, Nationibus petentibus sua Concordata legitime edita communicare. Hinc quoties ex Cancellaria rogantibus ederet, *præfatione* fidem operi conciliavit, ac *testimonium* impertivit.

Talis est *gemina præfatio* Vice-Cancellarii Cardinalis, diversis horum Concordatorum editionibus præmissa. *Unam* præfationem ex *Vindobonensi Cæsareo Codice MSCto*, *alteram ex Ducali Brunsvicensi* depromsimus: neutram, aliquantisper, diversam, omittendam rati.

Damus universa omni fide ac studio. Ne quid posteritati per nos desit, quod ad avitas res gestas cognoscendas spectet.

NATIO-

GERMANICÆ NATIONIS & MARTINI V. PAPÆ CONCORDATA

Qvoad Ecclesiastici regiminis emendationem,

In Concilio Constantiensi A. 1418. adornata.

Ex antiqvissimis Codicibus MSCtis
Cæsareis Vindobonensibus ac Ducalibus Brunsvicensibus.

PRÆFATIO AC TESTIMONIUM JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Ex MSCto Cæsareo Vindobonensi.

Concordata hæc in Concilio in Cancellariam Papalem relata d. 15. April. A. 1418.

EGo JOHANNES, EPISCOPUS OSTIENSIS, *Romanæ Ecclesiæ CARDINALIS & VICE-CANCELLARIUS*, infra scripta constitutiones & statuta *transvidi in Cancellaria* de mandato Domini nostri MARTINI PAPÆ V. *die quinta decima mensis Aprilis*, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno primo. Et *in libro Cancellariæ feci scribi* de eodem mandato. Et juxta ejusdem Domini nostri mandatum sic observari ubique mandavi. Et mihi extrahi ea feci & mandavi per notarium subscriptum, & *in hanc publicam & autenticam formam* redigi, inserendo ea de verbo ad verbum, prout in quaternis seu *libris* dictæ *Cancellariæ* originaliter conscripta existunt. Ut in quocunque judicio & extra, tam in curia Romana, quam extra, fidem plenariam faciant, illisque stari debeat incommutabiliter, sicut propriis originalibus. Voluit insuper, mandavit, statuit & ordinavit idem Dominus noster Papa, quod omnia & singula hic subscripta firmiter & immobiliter observentur. In quorum omnium *testimonium* sigillum meum cum notarii publici infrascripti subscriptione apponi feci & mandavi.

Ex libris Cancellariæ fuerunt sæpius excerpta & Germanis communicata.

ALIA PRÆFATIO AC TESTIMONIUM Ejusdem JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Ex MSCto Ducali Brunsvicensi.

UNiversis & singulis JOHANNES, divina miseratione EPISCOPUS OSTIENSIS, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALIS ac VICE-CANCELLARIUS, Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere.

Si juxta laudabilem antiquorum sententiam & providum sapientum consilium dignum est, ea, quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, scripturæ testimonio redigere: Dignum per consequens & rationi consentaneum, ut adeo nota sit eorum veritas, quod inde nec desit pacificis oportuna provisio, nec usqvam perversis sub ignorantia variandi supina facultas relinquatur.

Cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cum itaque nuper inter Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum Martinum divina providentia Papam V. & Reverendissimos Patres Prælatos nec non egregios & circumspectos viros, Ambasiatores, Procuratores, Doctores, & Magistros, ceterosqve, VENERABILEM NATIONEM GERMANICAM in Generali Constantiensi Concilio repræsentantes & facientes, nonnulla CAPITULA CONCORDATA, & ab utraque parte sponte suscepta: Nec non de dicti Domini nostri Papæ mandato *in libro Cancellariæ* sanctæ Ro. Ecclesiæ, in quo Romanorum Pontificum constitutiones & ordinationes solent conscribi ad futuram rei certitudinem, nobis operam dantibus, prout ad nostrum spectat officium, *die quinta decima mensis Aprilis*, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno primo, *conscripta* fuerunt, ac de simili mandato in Audientia contradictarum, *die secunda Mensis Maji*, anno quo supra, *lecta & publicata:* Addito, quod sub nostrarum literarum testimonio indigens quisque sibi testimonium sumere valeat, in toto, vel in ea parte, qua indiguerit eorundem: Nos ad N. instantiam, *Capitula* hujusmodi, sicut perfertur, *Concordata* & sponte suscepta, ex integro libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conscribi & præsentibus annotari fecimus. Qvorum tenor seqvitur in hunc modum.

CAP. I.

De numero & qualitate Cardinalium, & eorum creatione.

Moderatum esse debere Cardinalium numerum.

STatuimus, ut deinceps *numerus Cardinalium* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeo sit *moderatus*, quod non sit gravis Ecclesiæ.

Ex omnibus Nationibus seligendi.

Qvi *de omnibus partibus Christianitatis* proportionaliter, quantum fieri poterit, assumantur: Ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & *æqualitas regionum in honoribus Ecclesiasticis* observetur.

Æqualitas regionum in honoribus Ecclesiasticis.

Sic tamen, quod *numerum* XXIV. non excedant.

Sint XXIV.

Nisi pro honore nationum, quæ Cardinalem non habent, unus vel duo pro semel de consilio & assensu Cardinalium assumendi viderentur.

Sint eruditi, probi & prudentes.

Sint autem *viri in scientia, moribus & rerum experientia excellentes*, Doctores in Theologia, aut in jure Canonico vel civili.

Aliqui ex magnatū domibus.

Præter admodum paucos, qui *de stirpe Regia* vel *Ducali* aut *magni Principis* oriundi existant. In quibus competens literatura sufficiat.

Non fratres, aut nepotes ex fratre vel sorore, alicujus Cardinalis viventis.

Nec de uno ordine mendicantium ultra unum.

Non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota respersi.

Cardinalium electio quo pacto instituenda.

Nec fiat eorum *electio per auricularia vota* solum modo: Sed etiam cum consilio Cardinalium collegialiter. Sicut in promotione Episcoporum fieri consvevit.

Qvi modus etiam observetur, qvando aliquis ex Cardinalibus in Episcopum assumetur.

CAP. II.

De provisione Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum.

Reservationes quæ Pontifici sint concessæ.

SAnctissimus Dominus noster *Papa, Martinus Qvintus*, super provisionibus Ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum quorumcunque, *utetur reservationibus juris scripti*, & constitutionis, *Execrabilis & Ad regimen*, modificatæ ut sequitur:

Ad

Tota constitutio restricta ad quinquennium.

Ad regimen Ecclesiæ generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum & monasteriorum regimina & alia beneficia Ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, *qui* prælint & prosint *committendis eis Ecclesiis, monasteriis & beneficiis prælibatis.*

Præmissorum itaque consideratione inducti, & svadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales Ecclesias, Monasteria, prioratus, dignitates, personatus & officia, nec non canonicatus & præbendas, & Ecclesias, ceteraq; beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, secularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consveverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia *vel in posterum* vacatura: *Nec non per depositionem, vel privationem seu translationem, per nos seu autoritate nostra factas, & in antea faciendas, ubilibet: Nec non, ad quæ aliqui in concordia seu discordia electi, vel postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & admissa autoritate nostra extiterit, seu quorum electorum vel postulatorum, & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari, vel postulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos seu autoritate nostra continget apud sedem prædictam, vel alibi, ubicunque: Et etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, ac Officiariorum dictæ sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, centum & unius scriptorum literarum Apostolic. & XXIV. pœnitentiariæ præfatæ sedis, & viginti quinq; abbreviatorum, nec non verorum commensalium nostrorum, & aliorum XXV. Capellanorum sedis ejusdem in pitavio descriptorum, & etiam quorumcunque legatorum seu collectorum ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum & thesaurariorum, deputatorum, seu missorum hactenus vel deputandorum ac mittendorum, inposterum* vacantia *& in antea* vacatura, *ubicunque dictos legatos vel collectores, seu Rectores aut thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis: Nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus, jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hac luce contigerit: Et etiam simili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, nunc per obitum hujusmodi* vacantia *vel in posterum* vacatura: *Rursus monasteria, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas & Ecclesias, ceteraq; beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promotæ per nos vel autoritate nostra ad patriarchalium, Archi-Episcopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina, obtinebunt tempore promotionum, de ipsis factarum, nunc quocunque modo* vacantia *seu in posterum* vacatura: *Nec non etiam quæ per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum Ecclesiasticarum aut beneficiorum aliorum, per nos, seu autoritate literarum nostrarum immediate collatorum, seu conferendorum inposterum, præterquam, si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiat, nunc* vacantia *& in antea* vacatura: *Plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni & provisioni nostræ, usque ad* quinquennium *de ipsorum fratrum consilio autoritate Apostolica* reservamus. *Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus*

cus super præmissis & quolibet eorum, per quoscunque quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent superius enarratis articulis, vel alicui, seu aliquibus eorum, dicto quinquennio durante. *Nulli ergo &c.*

De electionibus & confirmationibus quæ & quousque Papæ conveniant apud Germanos.

In Ecclesiis Cathedralibus, & etiam in monasteriis, *Apostolicæ sedi immediate subjectis*, fiant *electiones canonicæ*, quæ ad sedem Apostolicam deferantur. Quas etiam ad tempus, constitutum in *constitutione Nicolai III.* quæ incipit: *Cupientes*, Papa expectet. Quo facto, si non fuerint præsentatæ, vel, si præsentatæ minus canonicæ fuerint, Papa provideat: Si vero canonicæ fuerint, Papa eas confirmet. Nisi ex causa rationabili & evidenti & de fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerit providendum. Proviso, quod confirmati & *provisi per Papam* nihilominus *metropolitanis* cum aliis *præstent debita juramenta*, & alia, ad quæ de jure tenentur.

In monasteriis Papæ immediate non subjectis apud Germanos.

In *monasteriis, quæ non sunt immediate subjecta sedi Apostolicæ*, nec non in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem Apostolicam, *non teneantur venire electi*, seu illi, quibus providendum est, *ad curiam*, ad habendam confirmationem seu provisionem. Nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis.

Ubi autem in monasteriis ad curiam Romanam pro confirmatione venire vel mittere consueverunt, ibi Papa non aliter confirmet aut provideat, quam superius de Ecclesiis Cathedralibus est expressum.

De monasteriis monialium.

De *monasteriis monialium* Papa non disponet, nisi sint exemta: Et tunc per commissionem in partibus.

De reliquo jure Patronatus in Ecclesiis Germaniæ.

De *cæteris* dignitatibus & beneficiis quibuscunque, secularibus & regularibus, vacaturis ultra reservationes jam dictas: Majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus in collegiatis Ecclesiis, exceptis: De quibus *jure ordinario provideatur per* illos *inferiores*, ad quos aliàs pertinet: Nec computentur in turno seu vice eorum: Idem Dominus noster ordinat, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma per eum aut ejus autoritate factam vel faciendam, non velit, neque volebat, neque intendebat, nec intendit facere, aut fieri, quo minus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt, *alternis vicibus libere disponatur per illos, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio aut alia quævis dispositio pertinebit*, prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de jure. Ita, quod, cum *de una* dignitate, personatu, officio vel beneficio ex illis, ad electionem, provisionem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem alicujus spectante, fuerit *autoritate Apostolica provisum* aut aliàs dispositum, *ille, ad cujus electionem*, vel quamvis dispositionem, primo loco *pertinebat, de alio immediate postea vacaturo provideat*, aut disponat, prout ad eum pertinebat.

De alternante collatione officiorum.

Et ita consequenter de singulis hujusmodi dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis vacaturis, autoritate ejusdem Domini nostri Papæ, & aliorum prædictorum, *alternatis vicibus disponatur*. Reservationibus, aut aliis præmissis dispositionibus, autoritate ejusdem Domini nostri Papæ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque.

Quoties verò aliquo vacante beneficio, cadente in vice & in gratia expectativa, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo secundum prædictas ordinationes fuerit autoritate Apostolica provisum: *Ordinarius*, vel *alius*, ad quem illius dispositio pertinebit, *de illo libere disponat:* Nec sibi in sua vice computetur.

Beneficia etiam, quæ per simplicem renunciationem aut permutationem vacaverint, neutra Papæ computentur.

Sanctissimus Dominus noster Papa *Martinus Quintus*, ad exaltationem fidei catholicæ, & spiritualem profectum populi Christiani, *de consensu ac beneplacito*

De Canonicatibus pro graduatis apudGermanos.

cito nationis Germanicæ ſtatuit, & ordinavit ac decrevit, quod deinceps in metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis *nationis Germanicæ* ejuſdem, *ſexta pars Canonicatuum & præbendarum ſit pro Doctoribus aut Licentiatis in ſacra pagina, vel altero jurium, vel in Theologia Baccalaureis formatis, aut Magiſtris in Medicina*, qui per biennium, ſeu *Magiſtris in artibus*, qui per quinquennium poſt magiſterium, in Theologia aut altero jurium ſtuduerunt in Studio generali.

Sic videlicet, quod, ubicunque non fuerit ſaltem *ſexta pars canonicorum, præbendatorum*, in metropolitana vel Cathedrali Eccleſia, taliter *graduatorum*, ibi quæcunque deinceps canonicatus & præbendæ vacaverint, quacunque etiam Apoſtolica vel alia autoritate, *non niſi taliter graduatis conferantur*, quousque dicta *ſexta pars* compleatur *taliter graduatis*. Si tamen *infra menſem*, à tempore vacationis hujusmodi canonicatus & præbendæ numerandum, repertus fuerit taliter *graduatus*, & *alias idoneus*, qui per ſe vel per procuratorem voluerit acceptare.

Quod poſtmodum continuetur, ut ad minimum dictus *numerus ſexta partis canonicorum*, taliter, ut præmittitur, *graduatorum*, in ipſis metropolitanis & cathedralibus Eccleſiis habeatur.

De illustribus perſonis Canonicis apudGermanos.

Ubi autem ſoli conſueverunt *illuſtres* aut de *Comitum* vel *Baronum* genere vel ex utroque genere militares in *canonicos* admitti: Taliter graduati, qui acceptare voluerint, ſi *taliter nobiles*, ut præmittitur, fuerint, in illis Eccleſiis cæteris etiam nobilibus ſaltem usque ad dictum numerum præferantur.

Item, quod in aliis collegiatis Eccleſiis *ejusdem nationis*, ſimiliter *ſexta pars canonicatuum* & præbendarum deinceps modo præmiſſo conferatur, *ſic*, ut præmittitur, *graduatis*, aut ſaltem in medicina aut in artibus Magiſtris vel Licentiatis, aut in Theologia vel altero jurium baccalaureis examinatis per rigorem, cum limitatione, modo & ordine ſupra dictis.

De magnis parochialibus Eccleſiis inGermania.

Item quod *Parochiales Eccleſiæ*, habentes, communi æſtimatione, quæ ſecundum famam publicam attendatur, *duo millia communicantium* vel plures, deinceps non conferantur, etiam Apoſtolica vel quacunque alia autoritate, niſi *Doctoribus vel Licentiatis in ſacra pagina* vel jure Canonico vel civili, & Baccalaureis in Theologia formatis: Si tamen *infra menſem*, à tempore vacationis numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per ſe vel per procuratorem voluerit acceptare.

Decernendo irritum & inane, ſi ſecus in præmiſſis, tam circa canonicatus & præbendas, quam parochiales Eccleſias, vel eorum aliquod, a quoquam, quavis etiam autoritate Apoſtolica, fuerit acceptatum.

Salvis ſemper *laudabilibus conſuetudinibus & ſtatutis Eccleſiarum*, quæ præmiſſis non adverſantur. In contrarium autem facientibus non obſtantibus quibuscunque.

Item quatenus prædicta conſtitutio, ſeu ordinatio, pluribus profit, & *humanæ ambitioni frenum imponatur*, ordinat, ſtatuit, & decernit idem Dominus noſter Papa, quod, vigore præſentis conſtitutionis ſeu ordinationis, *nemo graduatorum poſſit ultra unum Eccleſiaſticum beneficium adipiſci.*

Item vult, quod in pari data ad eandem collationem *graduatus non graduato præferatur*. Prærogativis & diligentia non obſtantibus quibuscunque.

Item, quod *vicariæ*, ad certa chori officia in Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis deputatæ, non conferantur, etiam Apoſtolica autoritate, niſi talibus, qui hujuſmodi beneficia cantando, legendo, & aliàs ſciverint & poterint perſonaliter adimplere.

CAP. III.

DE ANNATIS.

De Fructibus primi anni.

DE Eccleſiis & *monaſteriis virorum* duntaxat, vacantibus & vacaturis, ſolventur *pro fructibus primi anni* à die vacationis *ſummæ pecuniarum*, in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ *communia ſervitia* nuncupantur.

Communia ſervitia.

Taxæ Ecclesiarum Germanicarum excessivæ, moderandæ.

Si quæ vero *excessive taxatæ* sunt, juste retaxentur. Et provideatur specialiter *in gravatis regionibus* secundum qualitatem rerum, temporum, *& regionum, ne nimium prægraventur.* Ad quod dabuntur *Commissarii*, qui diligenter inquirant & retaxent.

Annatæ quæ & quando solvendæ à Germanis.

Taxæ autem prædictæ *pro media parte infra annum* à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solventur: Et *pro media parte alia infra sequentem annum.*

Et si *infra annum bis* vel pluries *vacaverit*, semel tantum solvetur.

Debitum in successorem non transeat.

Nec debitum hujusmodi *in successorem* in Ecclesia vel monasterio *transeat.*

De ceteris autem dignitatibus, personatibus, officiis, secularibus & regularibus, quibuscunque, quæ autoritate sedis Apostolicæ conferentur, vel providebitur de eisdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis, solvatur *annata* seu *medii fructus* juxta taxam solitam tempore unionis infra annum.

Et debitum hujusmodi in successorem in beneficio *non transeat.*

De beneficiis vero, quæ valorem XXIV. florenorum de camera non excedunt, nihil solvatur.

Debitis omnibus præteriti temporis, usque ad assumtionem Domini nostri, communium servitiorum & annatarum, *pro medietate relaxatis*, solventibus aliam medietatem infra sex menses à die publicationis.

CAP. IV.

De causis tractandis in Romana curia, nec ne.

SAnctissimus Dominus noster Papa *Martinus V.* statuit, & ordinat, quod nullæ causæ in Romana curia committantur, nisi *quæ de jure* & natura causæ *in Romana curia tractari debebunt.*

Causæ ad Ro. curiã pertinentes limitata.

Et quod causæ, *quæ ad forum Ecclesiasticum de jure* vel *consvetudine non pertinent*, per Romanam curiam, etiam prætextu crucesignationis laicorum, extra tempus passagii generalis, *non recipiantur*, de illis cognoscendo in curia, vel extra committendo, nisi de consensu partium.

Qvæ verò ad forum Ecclesiasticum pertinent, & *de jure* sunt per appellationem aut aliàs ad Romanam curiam *devolutæ*, ac de sui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea. *Cetera committantur in partibus.*

Nisi forsan pro causæ & personarum qualitate, in commissione exprimenda, illas tractare in curia expediret, pro justitia consequenda, vel de partium consensu, in curia tractentur.

CAP. V.

DE COMMENDIS.

ORdinat Dominus noster Papa, quod inposterum monasteria, aut magni prioratus conventuales, habentes temporib' ultra decem religiosos, & officia claustralia, dignitates majores post pontificales in cathedralib', sive Ecclesiæ parochiales, *nulli prælato etiam Cardinali dentur in commendam.*

Commendæ sublatæ.

Datæ autem & dati, quamprimum *commendatariis* loco illorum de æquivalenti providebitur, post pacificam possessionem adeptam, illas dimittant.

Una etiam Ecclesia metropolitana uni Cardinali vel patriarchæ concedi poterit, provisionem aliam sufficientiorem non habenti.

CAP. VI.

De Simonia in foro conscientiæ providetur ut sequitur.

UT autem, consideratâ *malitiâ* aliquorum *temporum proxime præteritorum*, quibus *labes Simoniaca* tam *in ordinibus*, quam *in beneficiis Ecclesiasticis*, tunc conferendis & percipiendis, ac religionibus ingrediendis, fuit heu *nimium frequentata*, *lasis* in hoc *conscientiis*, ad puriorem administrationem & perceptionem sacramentorum, salubriter *consulatur:* Omnibus & singulis Patriarchis

archis, Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, cæterisqve Prælatis, nec non clericis ac personis Ecclesiasticis, religiosis & secularibus utriusqve *sexus*, ut quælibet earum infra tres menses post publicationem aut insinuationem præsentium, sibi aut in diœcesi, ubi domicilium habuerit, factam, aliquem *in sacra pagina vel in jure canonico Doctorem aut Licentiatum vel Baccalaureum formatum*, ubi talis commode poterit reperiri, vel, ubi talis non reperitur, *Lectorem*, seu alias *intelligentem sacerdotem*, *discretum ac bonæ famæ*, curatum, vel non curatum, *eligere* valeat *confessorem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commode fieri poterit, ejus confessione auditâ, ipsam personam confitentem à suis peccatis, & à quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdicti, aliisqve sententiis, censuris ac pœnis, quas forsan *propter simoniam* in ordine vel beneficio Ecclesiastico, religionis ingressu, aut aliàs qualitercunque, *active vel passive commissam*, usqve ad tempus publicationis prædictæ dignoscitur incurrisse, *in foro conscientiæ* duntaxat *absolvere*, nec non secum super irregularitate, super eo, quod hujusmodi sententiis aut earum aliqua ligata forsan missas vel alia divina officia celebrasse, aut se illis immiscuisse censebitur, usque ad tempus prædictum contractâ, ipsaqve propter præmissa aut eorum aliquod à suorum ordinis vel officii executione suspensa, qvod in illis nihilominus ministrare, illa exercere beneficia adepta, vel statum, in quo est, retinere, & ad ulteriora promoveri possit, in dicto foro valeat *dispensare*, ac eidem beneficia, quæ obtinet, ob hoc forsitan vacantia vel vacatura, si & postquam dimiserit, *reconferre*, omnemqve inhabilitatis, irregularitatis, nec non infamiæ maculam sive notam atque aliam labem, per eum occasione prædicta usqve ad tempus prædictum contractam, in eodem foro totaliter *abolere*, fructus quoque beneficiorum Ecclesiasticorum, quos indebite percepit, & quos percipere potuisset, aut quicquid occasione prædicta fuerit refundendum, dummodo persona ipsa, ad refusionem faciendam deducto, ne egeat in statu, in quo tunc fuerit, aut aliàs absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit, in dicto foro *remittere*, ac eam de his *quitare & liberare*, tenore præsentium misericorditer *indulgemus*: Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

De eligendo confessore qui Simoniacum absolvat.

CAP. VII.

De non vitandis excommunicatis, antequam per judicem fuerint declarati & denunciati.

INsuper ad vitanda scandala & multa pericula, *subveniendumq; conscientiis timoratis*, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer *indulgemus*, quod nemo deinceps à communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac interdictum Ecclesiasticum observare. Nisi sententia, vel *censura* hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, *à judice publicata*, vel *denunciata* specialiter & expresse.

De excommunicationis virtute restricta.

Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;.

Salvo, si quem pro sacrilegio, & manuum injectione in clerum, sententiam latam à canone adeò notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAP. VIII.

De DISPENSATIONIBUS.

ORdinat etiam Dominus noster, ad Ecclesias Cathedrales, monasteria, prioratus conventuales & parochiales Ecclesias, *super defectum ætatis ultra triennium nullatenus dispensare.* Nisi forte in Ecclesiis Cathedralibus ex ardua & evidenti causa, de consilio Cardinalium, seu majoris partis illorum, videretur aliter dispensandum.

De dispensationibus Papalibus limitatis.

Item Dominus noster in arduis & gravibus casibus sine consilio Cardinalium non intendit dispensare.

CAP. IX.

De provisione Papæ & Cardinalium.

ROmano Pontifici & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus *pro illorum sustentatione*, rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam hucusque factum est, scilicet *per beneficia & communia servitia*, quæ *vacantia* nuncupantur.

De communibus servitiis & vacantiis pro Papa & Cardinalibus.

Verùm circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod *nulli Cardinali* monasterium, prioratus conventuales, ultra numerum decem religiosorum secundum moderna tempora habere consueti, nulla major dignitas post pontificalem in cathedralibus, aut parochiales Ecclesiæ, nullum officium claustrale, nullum Xenodochium, hospitale, eleemosynaria, seu leprosaria, *in titulum vel administrationem conferantur.* Et si quæ talia nunc obtinet, quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneatur, sicut superius de Commendis est dictum.

Quæ beneficia Ecclesiastica Cardinalibus non sint conferenda in Germania.

Proviso, quod Cardinalis de proventibus Ecclesiasticis non habeat ultra valorem sex millium florenorum.

CAP. X.

DE INDULGENTIIS.

CAvebit Dominus noster Papa *in futurum* nimiam indulgentiarum effusionem, ne vilescant. Et *in præteritum* concessas ab obitu *Gregorii XI. ad instar alterius indulgentiæ*, revocat & annullat.

Indulgentia in Germania refrenata.

CAP. XI.

De horum Concordatorum, Papæ Martini V. & nationis Germanicæ, valore.

ITem sanctissimus Dominus noster *Papa & inclyta natio Germanorum consenserunt & protestati sunt*, quod omnia & singula supradicta *durare & tolerari debeant usque ad quinquennium duntaxat*, à data præsentium numerandum: Constitutionibus Apostolicis, *regulis Cancellariæ* factis & fiendis, & aliis in contrarium facientibus, *non obstantibus* quibuscunque. Quodq; per observantiam illorum *nullum jus novum Romano Pontifici*, aut alicui alteri Ecclesiæ vel personæ, *acquiratur* seu præjudicium generetur.

Concordata hæc ad quinquennium à fine Concilii Const. durare debere. Regulas Cancellaria debere cedere Concordatis cum Germanis.

Sed *lapso dicto quinquennio* quælibet Ecclesia & persona prædicta *liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo*, non obstantibus supradictis.

Lapso quinquennio à fine Concilii Const. Germanos suâ libertate uti debere.

Et quod *capitula* prædicta, & quodlibet eorum, *dentur* cuilibet ea habere volenti, communiter seu divisim, *in pristinâ autentica forma, sub sigillo Domini Vice-Cancellarii*, cum subscriptione notarii. Sic, quod fidem faciant, exhibita ubicunque.

Pro toto autem non solvantur, ultra duodecim grossi Turonenses.

INDEX

INDEX CAPITUM
IN CONCORDATIS MARTINI V.
ET GERMANICÆ NATIONIS.
Gemina Præfatio ac duplex Testimonium
JOHANNIS, Episcopi Ostiensis, Cardinalis
& Vice-Cancellarii.

Cap. I. *De numero & qualitate Cardinalium & eorum creatione.*

Cap. II. *De Provisione Ecclesiarum, monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum & aliorum beneficiorum.*

Cap. III. *De Annatis.*

Cap. IV. *De Causis tractandis in Ro.curia, nec ne.*

Cap. V. *De Commendis.*

Cap. VI. *De Simonia, cui in foro conscientiæ provisum.*

Cap. VII. *De non vitandis excommunicatis, antequam per judicem fuerint declarati & denunciati.*

Cap. VIII. *De dispensationibus.*

Cap. IX. *De provisione Papæ & Cardinalium.*

Cap. X. *De Indulgentiis.*

Cap. XI. *De horum Concordatorum, Papæ Martini V. & Nationis Germanicæ, valore.*

Rarum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

RARUM & hoc
CONSTANTIENSIUM
CONCORDATORUM,
seorsim inter
MARTINUM V.
& GERMANICAM NATIONEM initorum
Opus,
in Oecumenico Concilio
Constantiæ Germanorum.
IMPERATORE SIGISMUNDO
A. 1418. mense *Januario* consignatum,
mense *Martio* à Papa Concilio denunciatum,
mense *Aprili* libro Cancellariæ insertum,
mense *Majo* in Papali curia publicatum,
Qvo
non Germanorum desiderio
sed spei in Const. Concilio
ultima manus imposita.
Nunc post tot secula
ad Germanicæ historiæ lucem
& fatorum pristinorum memoriam
Ex antiquissimis Codicibus MSctis
CÆSAREIS VINDOBONENSIBUS
ac DUCALIBUS BRUNSVICENSIBUS
è tenebris in lucem felici fato productum
in Academia Julia
A. M DC. XCVII. die 17. Aprilis,
Qvem colimus, fausto RUDOLPHI nomine sacrum.
Felicissimis Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
IMPERATORE
LEOPOLDO
IMPERII ROMANO-GERMANICI
VINDICE AUGUSTISSIMO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf